

Q.K.378,10.



ORDINIS PHILOS. IN ACAD. VITEBERGENSI

D E C A N V S

GODOFREDVS AVGVSTVS
M E E R H E I M

MORALIVM ET CIVILIVM P. P. O.

H. T.

COMES PALATINVS CAESAREVS

S O L E M N I A

CONFERENDAE VTRIVSQUE LAVREAE

A. D. XVII. OCTBR. CICIOCCCLXXXI

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAE
CANDIDATIS

INDICIT

P AVCA P R A E F AT V S

DE MORAVIA MAGNA INPRIMIS TEMPORE

A R N V L P H I

V I T E B E R G A E

FRELO CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT

ORDINES MUSICOZ IN ACADEMIA IMPERIALI

BECUNA

GODOLREDAE AGAZIA

NEERHEDEN

MOTLILIA M T CIVILIA M L I O

CORES MILITIA EMBRIGIA

ZOLLMWIA

CONTINENDAE ARTIASCÆ LAU




LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF DRESDEN

BY FRANCIS

ALLEGORICALLY

BY ERNST CHRISTIAN BAUM



§. I.

P R O P O S I T U M.

Quod facile et crebro fieri solet, ut ea, quae paulo
remotius a vulgari tramite disiacent, vel plane
conspicuum practereuntium effugiant, vel saltem
perfunktorie ac leui intuitu stringantur, idque in-
primis tum, cum mira rerum et obiectorum varietas ante pe-
des fere iacentium abunde curiositate animi fatigat; hoc Hi-
storiae Germanicae, et Geographiae mediae cupidis euenisse
ratus sum maxime in eo genere, cui describendo animum in
praesenti adieci. Memini, plerosque Historiae nostrae epitо-
matores de Arnulpho et rebus sub eo gestis tam frigide dicere,
tanquam parum inter sit ista nosse tironum, idque eo confiden-
tius scribo, quod mihi primum in his castris periclitanti



vix aegre viri nomen insedit.^{a)} Breui autem sententiam mutauit, cum diligentius re cognita animaduerterem, summis euentibus nobile fuisse regnum, et grauissimarum vicissitudinum inde consecutarum causas ac semina in eo velut occulta iacere. Nam vergente iam tum ad interitum Caroli progenie ingens rerum conuersio facta erat, et quae modo vni paruerat Europa nunc diuersos naucta erat dominos, quorum vnuquisque in ruina domus Augustae regni fundamenta iecerat. Ita cis et trans Iuram montem vtraque Burgundia suos reges colebat, Gallia ipsa ciuilibus discordiis distrahebatur, Italia iamdiu potentiorum factionibus adsueta erat, in Germania vix precario Arnulphus imperium magnae progenitoris famae debebat. Nec Germaniae ipsi sua integritas mansit, vt taceam Lotharingiam sub Zuentibaldo Arnulphi filio multum reluctantem; Danorum ac Normannorum furor septentrionalem partem crebris et atrocissimis latrociniis afflixerat, quorum tamen vires ab Arnulpho proelio prope Louanium facto ita fractae sunt, vt Germaniam infestare vltierius non auderent.^{b)} At quantum partem Slav-

habet

^{a)} Idem animaduertisse videtur Cel. *Christianus Gottlieb Schwarzius* in erudita dissertatione quam Altorfii MDCCXXXIV habuit, cui elogium inscriptum est: Ex *Historia Arnulphi Imp. Sententiae quaedam dubiae et controversae*. In qua de eius natalibus, de nexu Galliae feudali cum regno Germanorum, de loco quem inter Imp. tuetur, de turbis Lotharingicis, de rebus Morauicis sub eo gestis, ac denique de societate eius cum Hungaricis paeclare agitur.

^{b)} anno 891.

habebant ab Oriente, et meridie immissi, populus ipsis Germaniae compagibus intersertus, diu iam inuictus, et multis adhuc triumphis materiam fero praebiturus. Postremo iisdem temporibus noua prorsus belli facies et inaudita adhuc pestis cognita ingruentibus in Pannionam Hungarum, quorum dirissima omnium vulnera patriam inde per dimidium et quod excurrit seculum perculerunt.

§. II.

Origines Regni Morauici.

Vix illa post hominum memoriam gens amplas provincias complexa, quam vasta Slavorum dominatio. Nam postquam plerique barbarorum in summa ista perturbatione nomen romanum perditum iuerant, non potuit non fieri, ut multae regiones praesertim in Germania colonis suis destituerentur. His vestigiis insistentes Slavi ex intima Sarmatia, atque ab extremo maris Baltici sinu seu sensim orientem versus ac meridiem effuderunt. Quae res quamvis minore strepitu perfecta est, nec tantis tragœdiis decantata, euentum tamen varietate grauitateque non minoris momenti esse videtur ipsa insigni illa gentium migratione, quae seculum quintum nobilitauit. Quicquid enim hodie Russia, Polonia, Borussia, Bohemia, Silesia, Moravia, Hungaria, Dacia, Illyricum, et non contemnenda Germaniae pars est, a Slavis tum tenebatur.

A 3



tur ^{c)}, et adhuc habitatur, a Slauici generis hominibus. ^{d)}
Quae gentes, quamvis lingua, habitu, moribus inter se con-
ueniunt, diuersa tamen imperia secutae sunt, et, ut fieri solet
in eiusmodi populis nouarum sedium cupidis, prout turba
conglobata fuit, ita sibi duces legerant, qui deinde regulorum
nomen obtinuerunt. Hoc sane toti Europae, in primis Ger-
maniae saluti fuit, ne a tanta multitudine prorsus opprimere-
tur. Prae caeteris autem mature inclaruit Morauorum seu
Marahensium Slauorum ^{e)} virtus, quorum ad ripam Danubii
in finibus Germaniae Pannoniaeque florentissimum per aliquot
secula stetit regnum. ^{f)} Has terras ab initio Osi tenuere Pan-
nonum

^{c)} *Heirmoldus* l. I. c. 1. „Littus Australe incolunt Slauorum nationes,
„quorum ab oriente primi sunt Russi, deinde Poloni habentes a se
„ptentrione Prussos, ab Austro Bohemos, et eos qui dicuntur Mora-
„bi, siue Cariathi atque Carinthi. Quodsi adieceris Hungariam in
„partem Slauoniae, vt quidam volunt, quia nec habitu nec lingua
„discrepat, eo vsque latitudo linguae Slauicae succrescit, vt pene
„careat aestimatione.“

^{d)} Nomen *Slauorum* descendit a voce *Slauonica Slava* i. e. gloria, et
ipso hoc nomen sibi ob rerum a se gestarum memoriam imposuisse
videntur. Ante Iustinianum Imp. nemo Graecorum aut Latinorum
hanc vocem usurpauit vsque ad Procopium et Iornandem. Antea
enim Sarmatae, Venedi, etc. dici solebant.

^{e)} Ita appellati sunt a flumine, quod antiquis sonat *Marus*, scilicet etiam
Duria. *Plin. H. N. l. IV. c. 17* quod *Philippus Cluverius* in Ger-
mania Antiqua l. III. c. 31 probauit idem esse cum *Morava*, vt ho-
die vocatur, terminacione apud Slauos visitatissima.

^{f)} Scriptor insignis *Iohannes Thomas Pessina de Czechorod* in Marte
Morauico l. I. c. 3. „Ex omnibus, inquit, gentibus Slauonicis pri-
mo

nonum consanguinei, iam olim a Cimbris sub Teutoboco rege tentati, postea vero a Suevis validissima gente excisi. Suevicae enim originis Quadi, Lygii et Marcomanni erant, quos in his regionibus domicilia posuisse comperimus.^{g)} Ab his maxima et atrocissima bella cum Romanis sub M. Antonino, Iulio Maximino, Constantio, et Valentiniano gesta, nec raro Italia ipsa ab eorum armis trepidauit.^{h)} Seculo quinto cum omnia consurgerent, ac domi manere ignavum videretur, hic cum Suevis et Alanis in Hispaniam pertenderunt, reliquiae vero vel a Gothis superuenientibus absumtae sunt, vel Attillae fese comites ultra addiderunt.ⁱ⁾ Tum primum Sarmatarum manus in his finibus visa est, ab initio quidem, ut incolis aduersus Gothos suppetias ferrent, paulo autem post ipsi pristinis ciubus exhaustis soli bonitate inducti in has terras concesserunt. Primus eorum rex memoratur Babachus coloniae ductor, qui deinde a Theoderico Goto occisus est.^{k)} Verum hac calamitate opes eorum tam non fractae sunt, ut non modo prouinciam contra omnes impetus defenserent, sed etiam intra breve tempus fines regni latissime proferrent.^{l)} Nam Langobardis,

„mo Maiestas regia debetur Morauis. Neque enim inneniri potest, vt illa Slavorum natio regio titulo sua fuisset prius, quam Morauia.

^{g)} Plin. l. III. c. 12. et Strabo l. VII.

^{h)} Tacit. Annal. l. II. Strabo l. c. i) Czechorod. l. II. c. 3.

^{k)} Idem l. I. c. 3. et Iornandes de rebus Goth. Accidit anno 472.

^{l)} Procopius de bello Gothicō l. III. et Marianus Ullmannus in Veteri Moravia Theotisce scripta. P. II. pag. 30 sqq.



bardis, qui Pannonias hactenus obtinuerant ^{m)}), in Italianam pro-
perantibus sedes eorum relictas vna cum magna Dacie et Illy-
rici parte in potestatem redegerunt, aucti nimirum nouis popu-
larium supplementis, Slauinis, Scyris, et Serbis ⁿ⁾), quos ad praet-
iae societatem inuitauerant. Ex quo patet, iam tum timen-
dam fuisse eorum potentiam, cum nemo fere iis resistere vel
posset, vel auderet Graecis Bulgaros et Persas formidantibus;
Francis et Langobardis autem sibi consulentibus, et in tantum
creuerat regni Morauii amplitudo, vt a Viadro fluvio ad Gra-
num et Tybiscum amnem portenderetur. ^{o)} At non multo
interiecto tempore Franci quoque arma eorum experti sunt
regnante apud eos Samo, qui cum Dagoberto I. et Chlodoueo II.
bellum non infeliciter gesisse dicitur. ^{p)} Non manxit autem
diu eadem fortuna. ^{q)} Hunni enim Auares, qui olim sub At-
tila militiam fecerant, quanquam duce Chaba in Scythiam re-
cesserant, memores fertilitatis Pannoniae deuuo pingui terrae
inhiare coeperunt, adscitis in consortium Iugris et Magyaris
popularibus. ^{r)} Septem agminibus incessisse dicuntur Daciam

peten-

^{m)} Czechorod. l. II. c. 4.

ⁿ⁾ Vnde Seruiae in Pannonia nomen.

^{o)} Alia sentire videtur Ullmaius l. c. dicens nimirum alios Slauo-
rum populos has terras occupasse. Regem tamen Samo in Pannonia
regnasse negare non audet. pag. 46.

^{p)} Aimoinus de Gestis Francorum l. IV. c. 23. et Fredegarius in An-
nal. ad an. 638.

^{q)} Haec tenus Morauorum reges Vesprinii in Hungaria sedebant.

^{r)} Therozius in Chron. Hungariae P. I. c. 23. Sunt, qui negent hanc
Hun-

petentes, et a septem diuersis castris regio illa nomen *Septemcastrensis* (*Siebenbürgen*) inuenisse perhibetur.³⁾ Moraui tum praeerat Suathes, seu Suathos rex, a quo agros in Pannonia postulabant, quod cum ille detrectasset, proelio omnia amisit, quae trans Danubium possederat, et intra Moraiae fines sese recipere coactus est. Iam igitur Auares his regionibus libere imperabant, donec a Carolo magno, quem bello lacestuerant, et in primis a Pipino eius filio, cui belli conficiendi curam permiserat, ita attererentur, ut ad internacionem fere tum deleti sint.⁴⁾ Quo factum est, ut Pannonia superior et Noricum Ripense exinde limitis orientalis siue Austriae nomen fortiretur. Opem tulerat in hisce bellis Carolo Samoslaus Moraiae rex, et ab hostibus nonnulla recuperauit.⁵⁾ Videntur tamen ex hoc tempore Moraui in clientelam Francorum incidisse, quia Reges eorum saepenumero fidelitatis sacramentum praestitisse memorantur, saepe ob rationes reddendas ad conuentus Principium

Hunnorum secundam irruptionem aut saltim cum tertia mox commemoranda eandem esse statuant, et in primis in his eminent *Dergignes* in Historia Hunnorum, et Turcarum. Sed alias probabilis ratio reddi non potest, quomodo tanta Hunnorum Auarum tam cito creuerit potentia. *Ullmannus* l. c. pag. 104 sqq.

³⁾ *Slaunice Sedmihradsko.*

⁴⁾ *Regino* ad an. 791. *Lambertus Schafnaburgensis*, et *Herm. Contractus*.

⁵⁾ Memoratur in Annal. Franc. Theodorum ducem Auarum petuisse a Carolo, ut locum aliquem extra Pannonię sibi incolendum daret, quia tantopere premeretur a Slavis.



cipum euocati sunt, ac denique inter auxilia saepenumero reconsentur. Noua deinde rebus Moraucis lux assulst sub Radislao *) rege ab an. 844. Hic natione Dalmata exul ad Mogemirum in Morauiam confugerat, et inde egregia meruit, qui successor eius deligeretur. Ut igitur probatam daret nouis ciuibis virtutem suam, bellum statim decernit, atque omnem Pannoniam ac Daciam peruidit, Austriam occupat, et iam Bauariae imminet, ex quo bellum ipsi diuturnum et cruentum cum Ludouico Germaniae Rege eiusque filiis conflatum est, ad quod gerendum auxilia ab omnibus fere Slauici sanguinis Principibus, quos foedere sibi coniunxerat, eduxit. Erant sub signis eius Russi, Poloni Bulgari, Dalmatae. *) Slauatam Zatecensem Bohemiae ducem in ditionem accepit *), Germanos sub Carolomanno Ludouici filio saepe acie vicit, pacemque quaerentibus superba responsa dedit. Duravit hoc bellum ab an. 844. vsque ad an. 864. vbi tandem pax aequis conditionibus facta est. *) Ac ne tum quidem omnes discordiarum fomites sopiti. Nam cum Suantopulcus Radislai-nepos Borziuo-

*) alias Vratislaus vocatur, mox Radislaus, apud plerosque Scriptores Germaniae Raſticz audit.

*) Quanta fuerit Radislai regis auctoritas videre est apud Mar. Ultinanum p. 207. vbi docetur non mediocrem Russiae, Poloniae, Bohemiae, et Hungariae partem Moraui paruisse, cui suffragatur *Aeneas Sylvius* in Hist. Bohem. c. 13.

*) a quo deinde illustris Slauatarum in Bohemia familia originem duxit,

*) *Annal. Francorum* ad hunc annum.

gio ^{b)}) Bohemorum duci primo Christianam religionem, deinde etiam foedus persuasisset, ac praeterea Gundacker Carinthiae dux ad Radislaum defecisset, bellum recruduit 869. ^{c)} in quo Suantopulcus primum stipendia meruit, et praeclara fortitudinis ac scientiae bellicae specimina edidit, saepeque victor discessit. ^{d)} Altero anno fame Morauiam premente omnium animi ad pacem inclinabant, in quam Radislaus implacabilis Germanorum hostis sero atque aegre consensit. Negotium formulæ scribendæ Suantopulco datum, quod ille summa prudenteria ac fide perfecit. Insimulatus tamen vir insignis hac occasione patruo a maliulis hominibus, tanquam regni maiestatem indignis pacis legibus perdidisset, et nimia in Germanos studia aleret. Cum hic intelligeret itaque insidias sibi necfi, clam in Austria euadere constituit, et miro fortunae ludibrio patruum ipsum persequenter in itinere cepit, qui deinde Ratisbonam vincitus adductus est, et in monasterium detrusus breui finiit vitam. ^{e)}

B 2

§. III.

^{b)} Dubrauius in Hist. Bohemiae I. IV.

^{c)} Regino ad h. a. Bohemi in Bauarium irruunt, Moraui in Austria.

^{d)} Walaf. Strab. ad a. 869 et 870.

^{e)} Walaf. Strabus. a. 870. „Rasliczi iusto Dei iudicio captus est laqueo, quem tetendit. Nam ab eodem nepote capitur, ligatur, et Carlmanno praesentatur.“

Et infra.

„Rex Hludouicus in Boiarium profectus est, et Rasliczen Francorum iudicio, et Boioariorum, nec non et Slavorum morte damnatum luminibus oculorum priuari praecepit.“



§. III.

Gloriosissimus Morauorum Rex Suatopluc.

Iam mentio facta est viri, sub quo Morauorum regnum ad summum felicitatis gloriaeque fastigium euctum est. Vidimus nimirum, quo loco ortus sit, et quid sub auspiciis patrui preclarer gesserit Suantopulcus s. Suatopluc^f) Radislai ex sorore nepos, qui ad Arnulphi tempora Morauiam gubernauit. Post Radislai captiuitatem Carolomannus prouinciam cum exercitu ingressus, eam in fidem recepit, et pacatis omnibus Suantopulco clienti regendam permisit. Res itaque nunc eo venisse videbatur, ut pax diuturnior, et constans amicitia inter vtrumque populum Germanos ac Moraos sperari posset. Foedera etiam renouata sunt a Radislao nuper inita, sed parum respondit euentus. Nam cum Suatopluc castella quaedam contermina Bauariae exstrueret, in suspicionem venit nouarum rerum moliendarum, arcessitus igitur a Carolo ad conuentum Principum Mutaram s. Modram oppidum in Austriacis, ibique contra datam fidem callide detentus et in vincula coniectus est.^g) Quod cum resciuisse Ludouicus Carolomanni pater rem ipse cognovit, et causa dicta eum non modo honorifice absoluit, sed etiam in regnum restituit. At Suatopluc aegre iniuriam ferens vindictam meditatur, vnde bellum coortum, quod ab an. 871. vsque ad an. 874 multis vtrinque acceptis cladibus durauit.^h) In eo bello iam Hunni duce Bulco quodam a Germanis concitatim impetum in Morauiam fuisse

^f) Mira varietas in scribendo eius nomine deprehenditur. Plerique Scriptores linguae Slauonicae periti eum Suatopluc vocant, alii Suan-topulc, quos *Desgnignes* sequitur. E Graecis *Constantinus Porphyrogenetta* eum Sinibald appellat. Apud plerosque Germaniae scrippt. *Zuentiboldus* occurrit, atque ita etiam se ipse Arnulphi filius R. Lotharingiae in sigillo vocat. Vid. *Schwarzii Diff. laud.*

^g) *Czechorod. l. c. et Walafridus Strabns ad an. 871.*

^h) *Annal. Fuldaenses Pitthoei ad an. 874.*

cisse memorantur, sed cum ignominia electi. Pax tandem in primis opera Episcoporum conuenit, qui Morauo eam ob causam impense fauebant, quod ipse Christianam religionem tantopere amplificaret, atque inter gentiles suos propagasset.¹⁾ Ex hoc tempore alma pax Morauiam per quindecim fere annos fuit, populusque consiliis optimi Principis omni felicitatis genere floruit. Suatopluc enim amicitiam cum Ludouico G. ita coluit, ut ei expeditionem in Italiam aduersus Carolum Calium Galliae Regem paranti cum delecta manu praefecto esset. Eodem animo affectus fuit etiam erga Carolum cognomento Crassum in regno et imperio successorem. Memorant prae terea Scriptores Bohemici, Poloni, et Morauici eum in affinitatem Caroli peruenisse ducta scilicet Luidgarde Carolomanni filia, post obitum Ludomirae vxoris.²⁾ Quae cum Soror Arnulphi esset, mox Imperatoris summa familiaritate ambos hoc connubium sociavit, quod tantum valuit, ut cum filius Arnulpho ex concubina nasceretur, Suatopluc eum de baptismo leuaret, illique nomen suum imponeret, quo insignis postea Lo tharingiam rexerit.³⁾ Postquam igitur Arnulphus regnum capessuerat, Ratisleonam venit Suatopluc, eumque fidei atque obedientiae promissione comiter prosecutus est.⁴⁾ Ille vero multa in honorem Moraui e contrario decreuit, et praesertim cum opere tam potentis ac bellicosi viri aduersus Obotritos, Norman-

B 3

nos

¹⁾ Studium Suatopluci in Christ. rel. ex his principiis colligitur 1) ex conversione Brziuogii Bohemorum ducis, 2) ex fundatione Archiepiscopatus Wehleradensis, ac 3) ex beniuolentia eius erga Cyril lum, cuius in Liturgia praecipue Ecclesiarum Slauonicarum tam laudabilis est memoria. *Aeneas Sylvius* in Hist. Bohem. c. XIII.

²⁾ Marian. Ullmann pag. 246. ¹⁾ Regino ad an. 890.

³⁾ Ann. Fuld. ad an. 884. „Zuentiboldus cum principalibus suis, sicut mos est, homo per manus Caesaris efficitur, contestatus illi fidelitatem iuramento.“



nos aliosque hostes indigeret, Bohemiam ditioni eius adiecit.^{*)} Quod quidem à multis perperam intellectum est, ac si Bohemia tum alium ducem non habuisset, de quo alia omnia constant, erant enim plures in Bohemia ducatus, inter quos nonnunquam vnum principatum tenebat, omnes autem ac singuli Germaniae vestigales erant.^{*)} Istud igitur tributum antea Arnulpho pendendum translatum est in Regem Morauiae.^{*)} Habuit ea res multum inuidiae, accusatur Suatopluc praeuaricationis et arrogantiae, inde simultas coorta, nec diu causa manifesto bello desuit.^{*)}

§. IV.

Ultima regni Morauici fata.

Crinimi vertebatur in primis Suatopluko, primo quod foedus cum Leone Graecorum Imp. percussisset, eiusque maiestatem in fraudem Germaniae coleret, cui ille respondit, sibi opus fuisse cum Graeco tanquam vicino pacisci, deinde quod ad conuentum Hengisfeldensem venire detrectasset, his addunt nonnulli, quod Engelschalcum iuuenem nobilem ob furtiuos amores ex aula Arnulphi profugum in tutelam recepisset.^{*)} Bellum vtrinque summo apparatu instruitur, Arnulphus florem Francorum, Sueorum et Bauarorum educit, cum Cusula Hunnorum rege, qui iam pridem in parte Daciae confederant, et cuius legati

^{*)} *Regino l. c. et Otto Frising. l. VI. c. II.* Sed, quod miror, tacent rem plerique Scriptt. Bohemi.

^{*)} *Cowring. de Fin. Imp. l. I. c. 4. et l. II. c. 29.* vbi idem etiam de Morauia docetur.

^{*)} *Ditmarus Martisburgensis ait, tributum hoc constitisse centum boibus et quinquaginta Marcis argenti.*

^{*)} *Regino l. c. „Quae res, inquit, non modicum discordiarum ac defectionis praebuit ineitamentum.“*

^{*)} *Czechorod. Ullmann. l. c. Dubrauius in Hist. Bohem. l. 4. et Adze reiter in Hist. Bauariae P. I. l. 12.*

gati ipsis comitiis Hengisfeldensibus nouas terras flagitatum interfuerant, ¹⁾ foedus facit, pariterque cum Brzao Croatiae Regulo. Suatopluc praeter suos Bohemos, Polonos, Russos, et Serbos ad arna sollicitauerat, nec infeliciter aduersus Caesarem pugnauit, ²⁾ quem breui vltra Danubium submouit, foederatis interea Austria, Misniam, et Thuringiam vastantibus. Arnulphus itaque in angustiis constitutus, cum Hunnos segnius agere videret, Leopoldum Austriae Marchionem ad eos misit, qui ad bellum stimularet. ³⁾ Forte tum ingens ex ultima Scythia eorum populorum multitudo aduenerat, qui proprio Hungari ⁴⁾ dicuntur, ideoque summa laetitia conditio accepta est. Conclamatur ad arma, Moraui fortiter pugnantes caeduntur ad Modram urbem, atque Hungari iam Wehlegradum regni caput obsidione premunt, incumbentibus denuo ex altera parte Germanis, ac fortassis iam tum Morauiae regnum deletum esset, nisi Bulgari Morauorum cognati Hungaros a tergo improuisos infestassent. ⁵⁾ Quo casu obsidio quidem soluta est, Pannonia tamen ad Vagum usque fluvium amissa. Pax deinde etiam cum Arnulpho composta his legibus: ⁶⁾ ut Suatopluc partem Danubio vicinam cederet, tributo se obstringeret, et Suatobogium filium obsidem daret. Suatopluc huic calamitati non diu superuixit, et ex moerore animi obiisse diciuntur.

¹⁾ Walafr. Strab. a. 892.

²⁾ Idem an. 893, Rex regnum Zuentibaldi ingreditur, tum propter insidias positas ad regiam curtem Oettingen, magna cum difficultate reuerlus est.

³⁾ Luitprant I. I. c. 5.

⁴⁾ Hungarorum gentis iam Iornandes meminit, alias etiam Onoguri dicuntur, proprio Iguri, s. Ugri, aut Madgari. vid. Desgniges in Hist. Hunn. et Turec. T. I. Istam gentem recens aduenam fuisse diserte docet Regino ad an. 889: „Gens Hungarorum ferocissima, retro ante seculis inaudita ideo, quia nec nominata, a Scythieis regnis et paludibus, quas Tanais proicit, egressa est.“

⁵⁾ Cedrenus a. 889.

⁶⁾ Regino et Strab. ad an. 894.



tur.^{a)} His casibus accessit post mortem summi, quem Morauiā habuit principis ciuale bellum inter eius filios Mogemirū natu maiorem, sed extra purpuram natum, et Suatobogium.^{b)} Huic tanquam ex forore filio Arnulphus fauebat, eumque in regno collocauit. Verum nec intestinae turbae sedari, nec Hungari a crebris incursionibus coerceri poterant. Praeterea etiam prauī Suatobogii mores incusantur.^{c)} Tandem cum regnum inclinare ad occasum videret, poenitentia, vt aiunt correptus in solitudinem secessit, pauloque post vitam commutauit cum morte, simulque cum eo Morauiā reges habere desit.^{d)} Nam publicatum est regnum, et prout sors tulit a vicinis direptum. Hungari, Poloni, Austriae praedae partem traxere.^{e)} Morauiā ipsa, cui se dederet, fluctuabat. Plurimi Wratislao Bohemorum Duci regiam dignitatem offerebant, quam ille quidem recusauit, prouinciam tamen in fidem ac tutelam recepit, ex quo igitur Morauiā, quae ante parum temporis Hungariae, Dacie, ex parte Poloniae et Austriae ipsique Bohemiae imperitauerat, modica huius accessio facta est.^{f)}

Haec igitur qualiacunque praefatus de re vt opinor non pro�us ingrata, certe parum haclenus tractata, nunc ad propositum redeo, cuius causa ista perscripsi, vt nimirum viros doctos et honestos humaniter atque officiose horter, atque inuitem ad capessendam Magisterii dignitatem, quae ex decreto Amplissimi Philosophorum Ordinis per me proximis solemnibus a. d. XVII Octobris rite distribuetur. Quod vt auspicato procedat Deum Immortalem obsecro. P. P. in Festo Visit. Mariae A. R. S.

MDCCLXXXI.

^{a)} Auentinus l. IV. ^{b)} Czechorod. l. III. c. 1.

^{c)} Huc referunt in primis S. Methodii increpationem Missam agentis.


^{d)} an. 908. ^{e)} Appendix Reginonis, Lambertus, et Hermannus ad an. 908. ^{f)} Dubrauius l. IV. Czechorod. l. c. et Ullmannus p. 335.



nc

QK Thn 4663

x 3074319



ORDINIS PHILOS. IN ACAD. VITEBERGENSI

D E C A N V S

GODOFREDVS AVGVSTVS
M E E R H E I M

MORALIVM ET CIVILIVM P. P. O.

H. T.

COMES PALATINVS CAESAREVS

S O L E M N I A

CONFERENDAE VTRIVSQUE LAVREAE

A. D. XVII. OCTBR. CICIOCCCLXXXI

PHILOSOPHIAE ET ARTIS POETICAЕ
CANDIDATIS

INDICIT

PAVCA PRAEFATVS

DE MORAVIA MAGNA INPRIMIS TEMPORE

ARNVLPHI

V I T E B E R G A E

PRELO CAROLI CHRISTIANI DÜRRIT

